

facta concessio; hoc non fuit ibi concessum nisi ad virtutem, referendo ad cultum divinum, sicut Augustinus dicit de civit. Dei.

Aliud autem quod reprehendit Philosophus in Lacedæmoniis, unde ipsorum corrupta fuit politia, circa electionem iudicum est, quia eligebantur pauperes, qui egestate compulsi, corrumpebantur pecuniis à majoribus, & inde opprimebatur iustitia, & exercebantur tyrannides. Comparatione ergo istius politie democraticæ Philosophus magis commendat quia deficientibus in civitate hominibus virtutis ad regimen, ex quibus constituitur principatus qui aristocratia vocatur, melius regitur per divites malos, ex quibus constituitur principatus qui appellatur democratica. Non ergo expedit politie pauperes assumi, & cupidus ad iudicandum. Unde narrat historia, quod duo viri per consules Romanos fuerant electi ad gubernandum Hispaniam, quorum unus nimis pauper, alter nimis erat avarus. Cumque delatio facta fuisset in Capitolio de ipsis, quia de hoc litigabant, Scipio Africanus de neutro consuluit, utrumque corruptorem diffiniens politie, sive cuiuscumque regiminis, quia se habent ad civitatem velut sanguisuga ad corpus humanum. Unde in Proverb. xxx. 15. dicitur: *Sanguisuga duas sunt filias, dicentes, Affer, affer, quasi ad hoc sit principalis eorum intentio extorque re pecunias. Sed quid dicemus de Fabricio consule, qui pauperissimus fuit? ut scribit Valerius Maximus. Item de Lucio Valerio? de quo dictum est supra, qualiter in summa paupertate mortuus est.*

Ad hoc autem distingui oportet de duplici indigentia, voluntaria scilicet, & necessaria. Voluntariam habuit Christus, & sui discipuli, & hanc habuit Fabricius, & alius consul Romanus, qui ut fideliter gubernarent republicam, divitias contempserunt. Maluit enim Fabricius divitibus imperare quam locupletem fieri, ut dictum est supra de ipso. Hæc ergo non repellitur à regimine; sed secunda necessaria: quia talis raro, vel nunquam bene regit, vel consulitur, nisi suo appetitu vacuo satis detur. Cujus ratio, & differentia de utraque paupertate haberi potest ex diversitate finis. Finis autem paupertatis voluntarie est bonum honestum, sive bonum virtutis; finis vero necessarie inopie est bonum utile, ad quod appetitus ejus est pronus. Hoc autem est cuius gratia aliquid agitur, ut Philosophus dicit. Quidquid ergo agunt qui talem habent indigentiam, ad hunc finem deducunt ut suum impleant ventrem, & bursam. Sed qui voluntariam, sicut contemptivi divitiarum, ordiant omnia ad virtutem: & ideo cum gubernant, vel regunt cives, semper in eis bonum virtutis intendunt, quod est bonum humanum, ut idem Aristoteles dicit in 1. Eth. Amplius autem natura nihil frustra operatur, ut dicit Philosophus in 1. de Cælo. Appetitus vero ejus qui non habet divitias ex necessitate, & non voluntate, semper tendit ad habendum divitias. Si ergo non consequitur, erit frustra: & ideo natura appetitus ad hoc impellit, sicut refugium vacuum, quod sustinere non potest. Ergo difficile est vitare ut non insequatur quocumque modo ad habendum divitias. Periculosum est igitur politie, sive republice pauperem assumi ad consulatum, sive ad iudicatum, ut Philosophus dicit, nisi quando pauperes est placida: quia tunc est ressecata cupiditas, quæ omnium malorum est radix, ut scribit Apostolus. Talis enim indigens ad regimen politie est optimus, de quo in Eccl. ix. 14. scribitur, quod *invenitur est vir pauper, & sapiens, qui liberavit urbem per sapientiam suam, nulla videlicet cupiditate impeditam.*

## CAPUT XVI.

*Redit adhuc super politiam Lacedæmoniorum quantum ad ipsorum Regem, reprobandum modum quem tenebant circa ipsum, ostendens inconvenientiam quæ sequantur ex hoc.*

POST hoc autem & super Lacedæmoniorum regimen est agendum. Volunt enim Historici, ut Justinus Hispanus, magnus gestorum scriptor, dicentem civitatem habuisse Regem, & ipse Aristoteles in 11. Politicor. hoc affirmat, quod Rex esset respectu regionis, & provincie, sicut in urbe contingit. Hoc etiam videmus in multis partibus Europæ occidentalis, & borealis, quod Regem habent, & quælibet civitas suas leges, & politiam, puta Francia, Hispania, Gallia, & Germania. Lacedæmonii igitur, qui Spartiæ, sive spartani, Regem habuerunt, in quo Cællus regnavit, cuius Licurgus, ut tradit idem Justinus, in pupillari ætate curam suscepit, ut in Cretensi politia patebit. Circa quod quidem regimen Regis Spartiarum, seu Lacedæmoniorum procedit Philosophus in Politic. reprehendens ipsum de multis. Primo de provisione Regis, quia non sustinebant occasione inventa, quod regimen esset perpetuum. Sed nec etiam ad vitam modum rectorum politicorum servare volentes, quod in præjudicium non modicum videbatur esse regiminis: quia in hoc enervatur ipsorum potestas, & subditi dabatur occasio resiliendi à legibus observandis; & sic non poterant ipsorum Reges facere viros perfectos, & virtuosos. Propter quam causam, licet dictus Philosophus non faciat mentionem, historie tamen tradunt Lacedæmonios fuisse gentem indomabilem, nisi quod per dictum Licurgum fuit morum maturitate, ac præclaris legibus regulata, de quibus infra dicitur. Sequatur etiam istud inconveniens, quod si quando civitas legatos mitteret, ut ipse Philosophus dicit, ad aliquam civitatem, vel provinciam, sive regionem, cum quidam ex eis pugnant per Rege, quidam autem hostes forent, cognoscebatur ipsorum dissensio; unde minus erant chari, & de sua legatione raro reportabant intentum. Et advertendum, quod quamvis consules in urbe annuales essent, ut dictum est supra, & assignata causa est, sicut & magistratus Athenis; tamen non sic erat faciendum de Rege, immo si non sit perpetuus, valde periculosum est civibus. Dictum est enim supra, quod hæc est differentia inter Regem, & rectorem politicum, quod alter, videlicet politicus, solis legibus suæ civitatis populum iudicat; regalis vero princeps ultra leges quas invenit, vel ante statuit, opportunis temporibus legibus, quas in pectore defert, utitur pro meliori exitu sui regiminis, ac suæ gentis salute. Si ergo tales principes ad tempora regnent, contingit ipsos ad iudicandum esse præcipites sive contra cives, qui de ipso amovendo feruntur solliciti, sive alicujus rei adipiscendæ cupidine, vel ut amicis præsent gratiam, quam si regnasset, non fuissent facturi. Quantum autem ad primum habemus exemplum illius qui dixit in Luc. xix. 27. exponendo ut littera sonat: *Venerunt enim inimicos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite hæc, & interficite ante me.* Hoc eodem modo, ut historie tradunt, Herodes occidit multos ex nobilibus Judæorum, qui conabantur sibi regnum auferre. Quantum autem ad secundum exemplum, assumi posset de villico iniquitatis in eodem Evangelio: quod extendi potest ad omnem gradum regiminis, quia

ge-

## OPUSCULUM XX.

gerunt vicem dominorum in terra, quod & principes orbis faciunt in respectu Dei. Cum enim timent amoveri ab officio, de ærario publico domini sui jugiter sibi amicos copulant. Ex quibus omnibus manifestum est quod maximum est periculum alicui temporali rectori conferre regendi arbitrium in faciendo iustitiam. Sed si domipium esse perpetuum, rector carabit de subditis licet de re propria, ad quam quotidie, & continuo sollicitatur quasi ad suas divitias naturales, & ad indeficientem thesaurum. Propter quod sic ipse eos gubernat sicut pastor gregem, sicut hortulanus plantam, quorum qualiscumque læsio eis efficitur scandalosa.

## CAPUT XVII.

*Ex eadem causa ponit quedam in dicta politia Lacedæmonia reprehensibilia, quæ erant materia dissensionis in populo.*

INerat etiam quedam consuetudo talibus dominiis in politia Lacedæmoniorum ex eadem causa trahens forte originem, quia tales principes de republica non curabant ut in eorum solemnitatibus, & ostentationibus primum fierent exactiones in populum: unde gravati pauperes seditionem concitabant, & sic enervabant politiam. Propter quod ut de publico fieret ærario, Philosophus in 11. Lib. Polit. magis commendat: quam quidem consuetudinem dicit in Creta fuisse, sive legem constitutam. Exactiones enim, sive vectigalia multiplicata in populo, nisi pro urgenti causa, ut pura pro conservatione civitatis, vel religionis, ipsam conturbant, & sunt in ea causa dissensionis, & litis. Ex hac etiam eadem ratione sequatur aliud inconveniens, quod navalis princeps sequebatur ab ipsa, ex qua sequebatur divisio animorum, & per consequens dissensio politie: quod non accidisset, si fuisset princeps perpetuus, quia quicumque fuisset dux civitatis, fuisset ei subiectus. Facit autem mentionem de navali bello, quia Lacedæmonii multum dominabantur mari. Concluditur etiam ex eodem forte malam esse politiam prædictorum, quia viri militares non assumebantur qui essent fortes virtute, videlicet fortitudinis, quæ est una de principalibus inter quatuor, quia cives exponunt se morti pro republica, sicut Regulus apud Pænos; sed habebant dicti milites, sive principes partem virtutis, quam Philosophus increpat in sua politica. Distinguit enim Aristoteles in III. Ethic. duplicem fortitudinem. Quarum alteram hic tangit, quæ militaris dicitur, quæ solis virtus innitur corporis; & hanc Philosophus vocat partem virtutis, sive fortitudinis, quia requiritur in terdum in vera fortitudine. Alia est quæ gratia republice se exponit, & non cedit, neque fugit periculis excrecentibus, de qua Seneca dicit in libro de providentia: *Fortissimos, inquit, sibi pares fortuna querit. Ignem experitur in Mutio, pauperatatem in Fabricio, exitum in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone:* & de qua etiam dicitur in I. Mach. (2. 66.) per Matthiam de filio: *Judas, inquit, fortis viribus à juventute sua sit vobis princeps, & ipse ager bella populi:* pro qua hostibus gratia republice non cedens, sed pro ea dissolutus corde in cæde oppressus occubuit. Prima enim fortitudo est imperfecta, secunda autem perfectissima virtus. Assumere igitur ad bellandum sive principem, sive quemcumque militem qui non sit fortis secunda for-

(1) Al. Ephoras.

## CAPUT XVIII.

*Hic declarat de politia Cretensi, & differentia ejus ad Lacedæmonicam, de auctoribus dictæ politie, & de legibus Licurgi.*

PERtractat etiam dictus Aristoteles in dicto Libro de politia Cretensium, quam dicit traditam à Licurgo fratre Regis Lacedæmoniorum, qui nomen Polibita, patre Catilli, ut Justinus refert. Item à Minore Rege ejusdem insulæ, qui fuerunt primi legum inventores in Græcia: ad quas descendas profectus est Pythagoras, ipsasque Cretenses perdocuit, sicut idem tradit Justinus: de quibus etiam duobus Philosophus in præfatio Libro mentionem facit. Et licet diversæ historie de Licurgo diversimode loquantur, nos tamen relationi ejusdem Justinii magis insisimus, quia præclarissimus fuit historicorum scriptor antiquus: & hinc forte contingit Lacedæmonicos cum Cretensibus eandem habuisse politiam: unde Philosophus dicit Lacedæmonios in hoc imitari Cretenses, quasi ab ipsis leges habuerint.

Licet igitur in multis conveniant, differunt tamen quantum ad convivium, & festivitates, quia fiebant de communi ærario apud Cretenses, quod dabatur ab incolis de fructibus, & pecoribus quæ offerebantur in sacrificiis in his quæ ad deos pertinent, quo modo inventæ sunt decimæ.

Alia differentia erat de mulieribus, quia Lacedæmonii zelabant multiplicationem proles, Cretenses non tantum.

Tertia differentia erat de agricultura: quia terras Lacedæmoniorum colebant servi, terras vero Cretensium colebant incolæ, per quos oblationes fiebant jam dictæ.

Quarta differentia erat, quia apud Cretenses eligebantur consules, sive sapientes, quos Bosmoim, id est ornatos senes vocabant, non de omnibus, sed de majoribus, & erant plures numero; sed Lacedæmonii de omnibus, quos (1) Aphorim dicebant, id est procuratores republice, sed pauciores; & hoc quidem Aristoteles magis commendat, quod minor erat occasio concitandi turbam.

Ratio autem dissensionis apud Cretenses, quia olim habuerunt Regem, de quo dictum est supra, sed tempore Aristotelis non habebat nisi ducem, quem dicit sapientes eligebant: unde quia populus nunquam habebat electionem, fomentum erat invidiæ, & per consequens odii. Sed Lacedæmonii etsi habebant Regem secundum beneplaciti tempus, eligebatur tamen à sapientibus, assumptus de omnibus gradibus civium: & hoc videbatur consonum rationi, ut consensu totius consilii assumpti ad regimen populi fieret

Ree 2

Rex,

Rex, ut hodie communiter faciunt civitates Italiae. Sic enim civitatis nomen impotat, quae est secundum Augustinum de civit. Dei hominum multitudo, aliquo societatis vinculo colligata: unde civitas, quasi civium unitas. Cum ergo nomen civitatis omnes cives includat, rationabile quidem videtur ad regimen ejus de singulis generibus civium debere requiri, prout exigunt merita singulorum, ac civilis regiminis status. Politia ergo Lacedemoniorum quam Cretensium in hoc melior videbatur.

In multis igitur convenientes dictae regiones, ut Philosophus tradit, in aliquibus tamen differabant eo modo quo dictum est supra. Et haec de politia Cretensium sufficit quantum ad sententiam Aristotelis.

Sed quia de Licurgo mentionem facit, quod historia de suis legibus narrat, congruum videtur hic interterere. Tradit enim idem Justinus, hunc Lacedemoniis, & Cretensibus scripsisse canones, ad quos observandos sub juramento Lacedemonios obligavit usque ad reditum suae peregrinationis, quam ad templum Apollinis simulabat, ibidem consulturus de ipsorum salute. Dicitus ergo legislator in Cretam se transtulit, ibique moriens, suasque leges eisdem tradens, ossa sua in mari jactari praecipit, ut suis juribus daret aeternitatem, quibus ipse primum documentum operis dedit. Leges igitur quas tradidit, sub compendio idem Justinus refert.

Primo quidem auri, argenteaque materiam sustulit populo. Legendi senatum, vel creandi quos vellet magistratus potestatem permisit. Fundos omnium aequaliter inter eos divisit, ut aequata patrimonium neminem potentiorum altero redderent. Convivari omnes publice jussit, ne cujusquam divitiarum, vel luxuria in occulto essent. Juvenibus vero non amplius una veste toto anno vestiri permisit, nec aliquem cultus quam alterum progredi, nec epulari opulentius. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. Pueros puberes non in forum, sed in agrum duci mandavit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere agerent, & labore, nihil eos causa somni sustinere, vitam sine pulmento degere, neque prius in urbem redire quam viri facti forent, jussit. Virgines ubi dote nubere voluit, ut uxores non pecuniarum causa eligerentur, strictiusque viri sua matrimonia coererent, cum nullis fransis dotis tenerentur. Maximum honorem non divitum, & potentum, sed senum esse statuit, nec usquam terrarum locum honoratorem quam senectutis statuit.

Haec igitur sunt leges politiae Licurgi, de quibus Philosophus mentionem non facit, & de quibus disputare quales sint, longus esset sermo, & ideo omititur ad praesens; non tamen contradicunt his quae a Philosophis dicta sunt de ipso.

## CAPUT XIX.

*Hic declarat de politia Chalcedoniorum, qualiter famosa fuerit: & in quo conveniebant Lacedemonii, & Cretenses cum ipsis, & in quo differabant.*

SED & de politia Chalcedoniensi nunc est agendum, quam Aristoteles multum commendat, dicens istas tres politias Lacedemoniorum, Cretensium, & Chalcedoniorum apud Graecos magis fuisse famosas, quia magis ordinatae fuerunt secundum virtutem. Est autem Chalcedonia civitas in Thracia sita, ubi celebratum fuit Concilium quarum sexcentorum triginta Episcoporum sub Leone I. praesente Marcia-

no Principe, quod non fuit sine magna copia regionis facultate habere ad provisionem tantae multitudinis praetorum. Hujus ergo politiam Aristoteles in II. Pol. praefert ceteris, quamvis praecedentes duae eidem plurimum sunt propinquae: cujus quidem perfectionis, & bonitatis Aristoteles tria signa subiungit. Unum, quia officiales ejusdem vjebant ordinate, & sua tranquille exequerentur officia cum quadam habilitate morum. Secundum vero, quod inter eos in ministerio republicae satis videbatur esse concordia, nec unquam est ibi concitata seditio talis, unde dignum esset in scripturis, vel quocumque modo de ipsa facere mentionem. Tertium autem argumentum suae bonitatis sumit Philosophus ex quieto dominio. Numquam enim inter eos surrexit sive dominus, sive nobilis, sive cujuscumque potentiae, qui ibidem tyrannidem exereceret.

Subiungit autem Aristoteles communitatem quam habebant Lacedemonii cum Chalcedoniis, sed Chalcedonii excellentiori modo. Primo quidem in conviviis, & festis, quae fiebant in demonstrationibus honorabilitum personarum, quae faciebant utrique per contributionem; sed Chalcedonii honestiori modo, quia sine oppressione pauperum. Secundum autem in quo conveniebant, erat electio seniorum, & Regis; sed in hoc differabant, quia Lacedemonii assumebant quoscumque de populo, quos Aphorim vocabant, & erant pauci, ad quos pertinebat electio Regis; sed Chalcedonii plures eligebant, & ex melioribus, quos & Aristoteles principes appellabat, & erant in Chalcedonia centumquatuor: quos ideo principes nominat propter virtutem sui regiminis, in quo nemo melius principatur. Istos eosdem Philosophus Genisios, id est honoratos, nuncupat: quorum officium erat & assistere Regi, & ipsum eligere. Item in hoc differabant a Lacedemoniis, quia non eligebant de quocumque genere, nec ex indifferentibus, sed ex eligibilioribus secundum virtutem: cujus rei causam assignat Aristoteles, quia de villi loco assumpti ad principatum, ut plures laedunt politiam, & laeserunt aliquando Chalcedoniam, juxta illud Poetae:

*Asperius nihil est humili cum surgit in altum.*

Unde & in Ecclesiaste scribitur cap. x. 5. quasi hoc sit in magnum detrimentum regiminis. Est, inquit, malum quod vidi sub Sole, & quasi per errorem egrediens a facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum. Vidi servos in equis, & principes ambulare quasi servos super terram. Item non semper eligebant de eodem genere, quia natura deficit saepius in successu suae prolis; sed assumebant Chalcedonii ubicumque reperirent meliorem, sive principem, sive genisios, id est honoratos senes, & in hoc imitabantur politiam aristocraticam, quae est principatus ex paucioribus, & virtuosus: quod quidem verum erat apud Chalcedonios, quia Rex cum aliquibus hominibus honoratis, & virtuosus tractabat quae agenda erant in civitate, non requisitio populi consensu, ut de Romanis scribitur in I. Machab. quod consilium agebant trecentum viginti de multitudo, ut quae digna sunt gerant. Quamvis autem istum Rex posset cum praedictis honoratis, interdum tamen requirebat populum de quibusdam agendis, & licitum erat populo consentire, vel non, ita ut locum non haberet, nisi fuisset acceptatum, postquam fuisset propositum populo; & tunc reducebatur status politiae ad principatum democraticum, quia haec fiebant in favorem gentis plebejae. Aliquando vero com-

mittebatur aliquid paucis, & tunc principatus oligarchicus vocabatur. Eligebatur enim quinque ex divitibus, quos Aristoteles Pentacontarchos appellat, ad quos pertinebat illos centum quatuor assumere honoratos, sive genisios: & fuit proprium politiae Chalcedoniorum: quem modum hodie observant civitates Italiae, & praecipue Tusciae. Hic etiam ritus servatus fuit in urbe toto tempore quo consularis duravit. Primo enim creari sunt consules, qui erant duo, postea dictator, & magister equitum, ut historiae tradunt, ad quos pertinebat totum civile regimen; & sic principatu aristocratico regebatur. Ulterius inventi sunt tribuni in favorem plebis, & populi, sine quibus consules, & alii praedicti regimen exercere non poterant; & sic adjunctus est democraticus principatus. Processu vero temporis senatores accepterunt regendi potestatem, licet senatores primo a Romulo sint inventi. Divisit enim totam civitatem in tres partes, in senatores, milites, & plebem: & tunc existentibus Regibus, in urbe tenebant locum senum, qui erant in Lacedemonia, qui aphorim dicebantur, sive in Creta quos bosmoim appellabant, sive in Chalcedonia, quos nominabant genisios, ut supra dictum est. Et quia senatores cum primis erant in multitudine, ideo tunc principatus Romanorum politicus dicebatur. Quando vero corrumpebatur politia per potentiam aliquorum, tota tempore quo exorta sunt bella civilia, tunc regebatur oligarchico principatu. Haec pro tanto sunt dicta ad ostendendum regimen Graecorum multum concordare cum nostro etiam tempore Aristotelis.

## CAPUT XX.

*Quomodo Aristoteles tradit in politia Chalcedoniorum documentum de electione Principis, utrum dives, vel pauper sit eligendus, & qualiter pauper virtuosus sustentari debeat, & utrum uni Principi competant plura dominia.*

TRADIT etiam documentum idem Philosophus in dicta politia Chalcedoniorum quantum ad electionem, ut non arte, vel sortialiter eligant, sed virtuosos: quia contingit aliquando talem sortem super pauperem cadere, cujus principatus est periculosus: quia, ut ipse dicit, & supra est ostensum, impossibile est egentem bene principari, ac legitime negotiis publicis posse vacare. Propter necessitatem enim inhiant lucris, & resilit a virtute, nec sibi ipsi vacare potest, ut quiescat animus, seu, ut dicit Salustius de antiquis Romanis, sit animus in consulendo liber. Tradit etiam documentum Philosophus quod & Chalcedoniae dicit contigisse in sua politia, ut si quando reperiretur pauper qui foret virtuosus, ad tollendam occasionem ne se lucris immergat illicitis, ut republica ei provideat in necessariis: unde & in omni regimine sui instituta stipendia sive de aetario publico, ut Augustinus dicit de verbis Domini, ne forte dum sumptus quaeritur, praedo grassetur; sive de bonis cuiuslibet sub regimine constituti, ut sunt tributa, & vectigalia, quae dominis debentur quodam jure naturae, sicut probat Apostolus ad Roman. xii. 6. Ideo, inquit, & tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Item in prima epistola ad Corinth. (x. 7.) Quis, inquit, militat stipendiis suis unquam? Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat?

Sed tunc movetur quaestio, quam Aristoteles tangit in dicta politia, utrum ad principatum semper dives eligi debeat: quia in hoc datur materia, ut ho-

mines sint amativi pecuniarum quocumque modo, eo quod natura humana semper est appetitiva honoris, ut scribit Maximus Valerius. Ad quod ipse Philosophus multa dicit comparans oligarchiam ad aristocratiam: quia secundum primum principatum eligitur dives, juxta secundum semper assumitur virtuosus. Sive ergo pauper, sive dives, dummodo vivat secundum virtutem, assumendus est in vera politia. Sed minus periculum est de divite, quia instrumenta sibi adsunt humanae vitae, per quae honeste suum potest officium exequi, salva tamen justitia subditorum. Multa alia scribit Philosophus de politia Chalcedoniensi, comparans ad invicem principatus: duo tamen concludit reprehensibilia de ipsis Chalcedonensibus. Unum quod sustinebant Principem plures principatus habere, quod Aristoteles reprobabat, ostendens multo melius esse, vel dignius plures esse, vel convenire ad unum principatum, quam quod unus habeat plures. Ratio autem hujus ex verbis Philosophi haberi potest ibidem, quia in diversis principatibus actus unius per alium impeditur: unde dat istud principium, ex quo argumentum assumitur quod ab uno unum opus optime perficitur, cuius rei gratia duo ponit exempla. Unum de fistulantibus, sive cytharantibus, & choreariis, quia in opere sibi contrariantur, & in instrumentis. Fistula enim, sive cythara requirit hominem intelligentem in melodiis, & manus agiles, & subtiles. Sed choreariis nihil horum requirit, quia sufficit homo etiam rusticianus cum manibus crabrosus. Ita & de diversis contingit dominis quod contrariantur sibi invicem, sicut fistulas choreario. Aliud exemplum introducit de nautico bello, & campali: quia non est convenientes ut utrobique sit unus rector, cum non habeant similes actiones. Alius est enim modus pugnandi in campo, & alius in aquis, & alia instrumenta requirit campale bellum, & alia navale, & per consequens alias actiones. Unde concluditur, inconvenientis esse unum dominum habere plura dominia, & ea bene posse gubernare propter contrarias actiones, & instrumenta. Amplius autem & virtus est debilis in agente, quia vix homo sufficit ad sui regimen. Durum est enim ut qui nescit tenere moderamina vitae suae, iudex fiat alienae, ut Gregorius ait. Multo ergo difficilius est habere multa regimina propter causas jam dictas.

## CAPUT XXI.

*De politia Pythagorae, quam didicit a praedictis Philosophis Minoe, & Licurgo, & quomodo totus suus conatus ad hoc fuit, assuefacere scilicet homines ad virtutes.*

PRATER dictas autem politias, quas Philosophus tangit in sua Politica, invenitur una philosophica, de qua Aristoteles mentionem non facit, videlicet Pythagorae, qui ipsum praecessit per duas hominum aetates, a quo nomen Philosophi exordium habuit, ut scribit Maximus Valerius: non est enim ausus se nominare sapientem, neque se in numero septem sapientium commutare, qui ipsum praecesserant; sed se Philosophum appellavit, id est sapientiae amatorem. Hic, ut tradit Justinus Hispanus, cum peragrasset Aegyptum ad persidens siderum motus, originemque mundi, inde regressus Cretam, & Lacedemoniam profectus est ad cognoscendum leges Minois, & Licurgi, de quibus dictum est supra, & in quibus suam fundavit politiam. Sed praeter leges jam dictas, idem Justinus hoc de ipso scribit, quod Crotonam ve-

veniens, populum in luxuriam lapsum sua auctoritate ad usum fragilitatis revocavit. Laudabat quotidie virtutem, & vitia reprimebat, casumque civitatum hac peste perdituram enumerabat. Tantum quoque studium ad frugalitatem perdiscendam multitudinem persuasit, ut aliquos ex eis luxuriosos fuisse incredibile videretur. Tradit etiam Tullius de ipso, quod quibusdam harmoniis vitia in hominibus extinguebat luxuria. Unde dicit, quod Taurontianum juvenem quemdam libidine flagrantem, cum audivisset Pythagoras ad ostium amicae meretricis insanire, jussit psalterium spondæum canere, & sic eum ad sanam mentem revocavit. Matronarum quoque separatarum à viris doctrinam, & puerorum à parentibus frequenter contigit ex ignito sermone prædicationis, vel ex virtuosa operatione, & excellenti vita doctoris. Docebat autem nunc hos pudicitiam, nunc illos modestiam, litterarumque studium. Ut matronæ aureas vestes, cæteraque dignitatis suæ ornamenta deponerent, velut quædam luxuriæ instrumenta, omniaque in Junonis ædem deferrent, eidemque consecrarent suadebat, asserens matronarum vera ornamenta pudicitiam fore. Hic autem cum annos viginti esset Crotonæ, Metapontum se transtulit, ibidemque decessit: cujus tanta fuit admiratio ut de ejus domo templum facerent, ipsamque pro deo colerent. Scribit etiam Hieronymus de ipso contra Jovinianum, quod filiam habuit tantæ pudicitiae, ut virginitatem servans, choro simul virginum jam præesset, easque castitatis instruxit doctrina. Per quod appareat quod in sua politia ad hoc tota sua ferebatur intentio, suosque conatus, ut homines traheret ad vivendum secundum virtutem, quod & Aristoteles in Politica docet; quin etiam omnis vera politia corrumpitur, si ab hoc fine declinetur.

## CAPUT XXII.

*De documentis pythagoricis sub figuris, & enigmatibus traditis, & de duobus pythagoricis fidelissimis amicis.*

Tradit etiam Hieronymus ubi supra quasdam leges pythagoricas ob conservationem suæ politie sub quibusdam paradigms, & parabolis more antiquorum tradidas. *Fugienda*, inquit, *sunt modis omnibus, & abscondenda, languor quidem à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à civitate seditio, à domo discordia, & in commune à cunctis rebus intemperantia.* Pythagoricorum etiam sunt ista: *amicorum omnia esse communia, & amicum se alterum esse: in quo maxime fuit eorum conatus.* Unde narrat Maximus Valerius de duobus Pythagoricis, seu Pythagore discipulis, Damone, & Pythia, quod tam fidelem inter se junxerunt amicitiam, quod cum alterum eorum Dionysius tyrannus morti adjudicasset, & is tempus ab eo imperasset, ut prius quam periret, profectus domum res domesticas ordinaret, alter vadem pro altero se tyranno dare non dubitavit. Appropinquante autem diffinita die, nec illo redeunte, cum unusquisque tam temerarium sponsorem stultitiæ dionasset, is nihil se amici constantiam meture prædicabat. Eodem itaque momento, eademque hora per Dionysium constituta, qui eam acceperat, supervenit. Admiratus tyrannus amborum animum, supplicium remisit, eorumque fidei se conjungi desiderans, eos ut ipsam in societatem suæ amicitie reciperent rogavit. Scribit etiam Hieronymus alia documenta, seu leges,

quas Pythagoras in sua tradidit politia: duorum videlicet temporum maxime curam habere, mane videlicet, & vespere, idest eorum quæ acuri sumus, & eorum quæ gessimus. Post Deum veritatem colendam, quæ sola homines proximos Deo facit. Refert etiam Hieronymus super Ecclesiasten, pythagoricam fuisse doctrinam ut homines scholastici usque post quinquennium taceant, postea vero eruditi loquantur. Item alia documenta & leges de ipso reperitur sub enigmatibus tradita, quæ Hieronymus narrat contra Jovinianum. *Stateram*, inquit, *ne transilites, idest, ne prætergrediatis justitiam. Ignem gladio ne foveas; idest, iratum, & tumidum animum verbis maledicis ne lacessas. Coronam nomine carpendam, idest, leges urbium observandas. Cor non condeudam, idest, merorem de animo expellendum. Per viam publicam ne ambules; idest, ne multorum sequaris errores. Hyrundinem in domo non habeas; idest, garulus, & verbosus in tua societate non suscipias: & multa alia documenta, vel his similia leges, quæ in sua politia prædictus Philosophus tradidit, magis ordinata ad regimen animæ quam corporis, qua regulata, corporalia facilius asseruntur.*

Et hæc ad præsens de diversorum politis dicta sufficiunt. Nunc vero de vera vita politica, sive per Philosophum tradita, sive per alios sapientes, in sequentibus est agendum.

## CAPUT XXIII.

*In quo consistat perfecta politia, ex qua accipitur felicitas politica, scilicet quando partes politie sunt bene dispositæ, & sibi ad invicem correspondent.*

Quia vero cum de politia agitur, ad civitatem refertur, modus agendi de ipsa ex qualitate civitatis dependet. Civitas autem, ut Augustinus dicit in I. de civitate Dei, est *hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata, quæ vera virtute beata redditur.* Hæc autem distinctio à sententia Philosophi non discordat, qui in perfecto politie regimine felicitatem ponit politicam, ut ex I. Etymologiarum patet. Virtus enim qua rector politicus civitatem gubernat, architecta est respectu cujuslibet aliarum virtutum que sunt in civibus; quia cæteræ virtutes civiles ordinantur ad istam, sicut ad militarem equestris, & sagittaria. Et ideo in operatione ejus, cum sit virtus suprema, consistit felicitas politica, ut Philosophus videtur velle in commemorato jam Libro. Sic enim de vera & perfecta politia contingit, quemadmodum de corpore bene disposito, in quo vires organice sunt in perfecto vigore. Et si virtus suprema, quæ est ratio, cæteras dirigat inferiores potentias, & ad suum moveantur imperium, tunc insurgit quedam suavitas, & perfecta delectatio virtum in alterum, quam harmoniam vocamus. Unde Augustinus dicit in III. de civitate Dei, quod respublica, sive civitas bene disposita melodie vocibus comparatur, in qua diversis sonis proportionatis ad invicem, fit cantus suavis, & delectabilis auribus: quæ proprie fuit in statu innocentie regulata ex virtute originalis justitiæ præter actum divinæ cognitionis: unde causabatur contemplativa felicitas, & etiam modo secundum quandam participatam virtutem in viris perfectis, ut nihil velint nisi quod regula mandat rationis, & quod Deo placet. Et ex hac quidem ratione motus fuit Philosophus assimilare rempublicam, seu politiam naturali & organico corpori, in quo sunt motus dependentes ex uno movente, sive ex duobus, ut sunt cor,

## CAPUT XXIV.

*Dividit politiam tripliciter, & unamquamque partem prosequitur, & primo qualiter in partes integrales secundum opinionem Socratis, & Platonis.*

NUNC igitur de his in specie est agendum in quæ, sive in quas partes civilitas, sive politia dividitur. Quas quidem oportet accipere vel respectu totius civilitatis, cui partes integrales respondent; vel respectu sui regiminis, aut ut ad negotia ordinatur bellica: quia secundum hanc divisionem diversa fontantur vocabula à diversis historicorum scriptoribus, & auctoribus legum.

Quantum autem ad primum modum tradendæ divisionem, accipere possumus superius politiam, quæ est Socratis, & Platonis, qui totam politiam in quinque colligebant partes; in rectoris scilicet, consiliarios, bellatores, artifices, & agricolas. Aliam autem, quæ est Romuli primi Principis urbis Romæ: qui, ut historia referunt, divisit multitudinem sui populi in tres partes, videlicet senatores, milites, & plebem. Politia vero Hyppodomi per tria genera hominum dicebatur, & ipsa constituitur, per bellatores, artifices, & agricolas, ut supra est traditum. Harum autem quælibet sustineri potest, & rationem habet.

Prima enim, quæ quinque hominum genera comprehendit, satis videretur conveniens. Si enim vires animæ consideremus, quarum respectu nostra attenditur indigentia, unde accipitur constituendæ civitatem necessitas; manifestum est dictam divisionem esse sufficientem. Partitur enim homo indigentiam respectu partis intellectivæ, ut possit vivere secundum virtutem, propter quod est sibi provisus directio in agendis: ad quod ordinatur consiliativa, quæ ponitur à Philosopho inter intellectuales virtutes. Unde in Eccli. xxxi. 24. scribitur: *Fili, inquit, sine consilio nihil facias, & post factum non poenitebis.* Et ideo in republica, sive in politia consiliarii sunt optima pars ejus: propter quod à Plutarcho comparantur oculo, qui inrer partes corporis est nobilior. Indiger etiam refrænativa concupiscentiæ, sive affectivæ, quæ inordinata est, ut ipse Philosophus tradit, unde ipsas ægritudines in vii. Ethic. appellat: & inde necessarii sunt rectores ad corrigendum hominum malitiam: propter quod & Apostolus dicit (Rom. xiii. 4.) quod non sine causa gladium portat, vindicet in iram ei (1) qui male fecit. Ex qua ratione institutæ sunt leges per principes, & rectores, ut per Philosophum patet, & ipse Apostolus in epistola ad Galat. 111. 19. *Lex*, inquit, *propter (2) transgressores posita est: & iterum (I. Tim. 1. 9.) Justo non est lex posita.* Sunt etiam & aliæ indigentie humane vitæ, quæ respondent aliis potentis animæ, ut est regumentum, ornamentum, & nutrimentum. Duo quidem prima indigentiam suppleant partis sensitivæ hominis; quod artificum est officium sive in ædificiis, sive in vestimentis, sive calceamentis, sive quibuscumque aliis artificialibus rebus, quæ aspectum, vel auditum, vel odoratum, sive tactum delectant, vel eisdem conferunt supplementum. Sed ad indigentiam suppleendam humane vitæ quantum ad nutrimentum, quod respondet parti vegetativæ, ordinatur agricolæ sive in pane, sive in vino, sive in fructibus, sive in gregibus, sive in armentis, sive in volatilibus, quæ omnia

cor, & cerebrum; & tamen in qualibet parte corporis est operatio propria primis motibus correspondens, & in alterum subministrans: unde hoc corpus divini muneris beneficio animari asserit, & quod summæ æquitas, nutu Dei agitur moderamine rationis: quod & Apostolus confirmat in I. Epistola ad Corinth. ostendens totam Ecclesiam esse unum corpus distinctum in partibus, sed unicum vinculo charitatis.

Ad veram igitur civilitatem, sive politiam requiritur ut membra sint conformia capiti, & ad invicem non discordent, & sint omnia sic disposita in civitate, ut jam est dictum. Amplius autem in causis, & causatis, & moventibus, & motis, ita videmus, quod est debita proportio ipsorum ad invicem quantum ad influentiam: quia inferiora moventur secundum superiorem motum, & superiora movent quantum est inferiori conveniens, cum natura non deficiat in necessariis. Si igitur talis est ordo superiorum ad inferiora, & è converso in qualibet natura creata; multo magis esse debet in natura intellectuali, quanto perfectior est inter entia. Si ergo talis dispositio suaviter facit contemplandum, multo magis operando. Et hinc Pythagorici moti fuerunt in celestibus corporibus ponere melodiam, ut Philosophus dicit in 11. de celo, propter ordinatos motus quos habent, & indeficibiles, unde insurgit summa suavitas: & quia ipsa fore dicebant animata, ex hac parte eisdem dabant felicitatem. Ergo sic politice vivere perfectam, & felicem vitam facit.

Præterea. Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique tribuens dispositio, ut Augustinus dicit xviii. de civ. Dei: per quam distinctionem habemus diversum gradum in politia, tam in executione officiorum, quam in subiectione, sive obedientia subditorum: unde tunc est perfecta socialis congregatio, quando quilibet in suo statu debitam habet dispositionem, & operationem. Sicut enim ædificium est stabile, quando partes ejus sunt bene sitæ, sic de politia contingit, quod firmitatem habet, & perpetuam quando quilibet in suo gradu, sive rector, sive officialis, sive subditus, debite operatur, ut suæ conditionis requirit actio. Et quia ibi nulla est repugnantia, consequenter ibi erit summa suavitas, & perpetua firmitas status: & hoc est proprium felicitatis politicæ, ut Philosophus tradit. Hos autem tales rectores civitatis, sive politie pro conservando in pace populo, describit nobis in Exod. c. xviii. 21. Jetro cognatus Moysi. *Provide*, inquit, *de plebe viros potentes, in quibus sit veritas, qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore: & postea subditur: Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta ejus poteris sustinere, & omnis hic populus revertetur in pacem ad loca sua: quasi omnia subsistant in quadam suavitate mentis, & pace temporis, ex quibus insurgit felicitas hominis, si tales sint gubernatores respúblicae quales hic ordinantur. Tales, & Salustius dicit fuisse Rectores Romanos: unde respública ex parva facta est magna, quia in eis fuit domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius: in quibus tales actus virtuosos regiminis nobis traduntur, unde perfecta, & felix ostenditur politia.*

(1) *Vulgata* qui malum agit. (2) *Vulgata* transgressiones.

nia de jure ad civitatem per agricolas deferuntur, & transportantur. Bellatores autem congrua pars politiae, ordinata quidem contra impulsores aliarum partium, & ad ipsarum munimen. Ad hoc enim constituitur miles in civitate, ut se pro sua patria contra hostes opponat: unde ad hoc juramento asringuntur cum ad gradum militare ascendunt, pro republica non recusantes mortem, ut in Policrato traditur, ubi de sacramento militis agitur. Est ergo bellator in republica necessarius, & pars praecipua politiae: quia ejus officium est assistere Principi pro exequenda justitia, ut dicitur in commemorato Libro, & fideliter, & constanter contra hostes pugnare pro conservanda patria; & sic non solum parti politiae, sed toti militaris gradus in republica singulariter est fructuosus.

Ex quibus omnibus manifeste patet sufficientia politiae Socratis, & Platonis quantum ad partes ejus.

## CAPUT XXV.

*Hic ostendit sufficientiam partium integralium politiae, quas Hyppodotus tradit, & Romulus.*

SED de duobus aliis modis jam dictis adhuc divisio tolerari potest: quia comprehenduntur cum prima, cujus sufficientia est jam ostensa. Et quidem in divisione Romuli cum de senatoribus agitur, rectores accipimus politicos, & sapientes eis adjunctos, sive assessores, sive quoscumque alios jurisperitos. Plus enim principes politici sunt consiliativi quam regales, vel imperiales; sicut & de Romanis scribitur 1. Machabaeorum v. 111. quod *consulebant quotidie trecentos viginti de multitudine, ut quae digna sunt gerant.* Cujus ratio esse potest, quia regimen politicum solis roboratur legibus, ut dictum est supra; regale vero, sive imperiale, etsi legibus gubernetur, in casibus tamen opportunis, ac gerendis quibuscumque negotiis regimen consistit in arbitrio Principis: quia *pro lege habetur quod Principi placuerit*, ut jura diffiniunt. Concludendum est igitur, in dominio politico consiliarios maxime fore necessarios, quos in nomine senatorum includimus: unde Isidorus dicit in 11. Ety. mo. quod senator a consulendo, & tractando est dictus, qui sic se habet ut consulat, & nulli noceat. Unde & Augustinus de civit. Dei senes inter senatores connumerat. Comprehendimus etiam in nomine senatoris rectores, sicut idem Isidorus tradit in praenominato jam Libro ex verbis Salustii dicentis, quod *Senatores patres vocati sunt propter diligentem curam regiminis.* Nam sicut patres filios, ita illi rempublicam gubernabant. Patet igitur quod in nomine senatorum, quos Romulus distinguit a militibus, & plebeis, etiam rectores, & consiliarios comprehendit, quos Socrates, & Plato in sua politia posuerunt distinctos. Sed in nomine plebis artifices, & agricolas accipere possumus, quia utrumque genus de gente plebea accipitur. Et apparet quod divisio multitudinis in civitate per praefatos Philosophos a divisione quam fecit Romulus, non discordat.

De distinctione tamen Hyppodoti jam praefati videtur esse dubium: quia nulla fit ibidem mentio de consiliariis, & rectoribus, nec ad partes reduci valent per dictum Philosophum assignatas, cum actus, & naturae ipsarum penitus sint diversa. Sed si attendimus ad ea quae ad civilitatem ejus sunt tradita, quaestio facilius solvitur. Pertractat enim de iudiciis, & assessoribus, ubi circa ipsos suam ponit dis-

tributionem, & nos ex ea possemus accipere consiliarios, & rectores: de quibus pro tanto mentionem non facit cum de partibus agit politiae, eo quod illas partes solum assumit quae ad indigentiam referuntur corporalis vitae: unde & sua positio quantum ad substantiam a prima, videlicet Socratis, & Platonis, non videtur differre.

Haec igitur de partibus politiae, ex quibus constituitur, dicta sufficiunt. Unum tamen de eis, adhuc considerandum videtur, de bellatoribus videlicet, quia omnes politiae de ista parte faciunt mentionem; cujus quidem rationem habere possumus à Vegetio. de arte militari in fine 1. Lib. quia *omnes regiones, & civitates per bellatores in suo sint conservatae vigore, & quod respublica diminuta est per dissuetudinem bellandi in urbe, post primum bellum Punicum per annos viginti in pace vitam deducens; unde Romanos ubique victores sic enervavit, ut in secundo bello Punico Hannibali pares esse non possent. Tot itaque consulibus, tot exercitibus amissis, tunc demum ad victoriam pervenerunt, cum exercitum militare condiscere potuerunt: & postea concludit: Semper ergo legendi, exercitandique sunt juniores. Utilius enim consistat suos erudire armis quam alienos mercede conducere.* Necessarii igitur sunt bellatores omni tempore in republica, tum pro pace civitatis conservanda, tum pro incurso hostium evitandis: quorum considerato fructu in republica amplior eis inter cives confertur honor, tamquam magis necessarii ad conservationem politiae, & propter periculum cui se pro ipsa debent exponere. Propter quod eisdem solis dabatur victoriosus corona. Hinc est quod in Policrato assimulantur manui, quae secundum Aristotelem in 11. de Anima, est organum organorum. Jura etiam ipsos milites ampliori decorant privilegio inter omnes civiles sive in testamentis, sive in donationibus, seu in quibuscumque negotiis, sed praecipue dum sunt in castris, ac suum exercent officium.

## CAPUT XXVI.

*Agit ulterius de aliis partibus politiae respectu regiminis, ubi verba exponuntur aversorum officialium.*

DE partibus autem politiae respectu regiminis, quia Romana respublica magis ordinem praecipuum tenuit, & post Tarquinium expulsum à regno gradus officialium ponitur ab historiatur scriptoribus, de ipsis specialiter tamquam aliorum exemplaribus est agendum. Narrant enim primo, consules institutos, Brutum, videlicet, qui maxime egerat, ut expelleretur Tarquinus, & Tarquinium Colatinum maritum Lucretiae: sic dicti vel à consulendo civibus, vel à regendo cuncta consilio: quos mutandos ideo elegerunt per singulos annos, ut dictum est supra, ut nec insolens diu maneret, & moderatior cito succurreret. Propter hoc autem duo partes erant, quia unus rem civilem, alter vero rei militaris curam gerebat. Processu autem temporis, id est quinto ab exactis Regibus anno, inventa est dictatura, occasione habita alienius novitatis in urbe. Dum enim gener Tarquinii ad vindicandum Regis injuriam magnum congregasset exercitum contra civitatem, ad confortationem generis nova instituta est dignitas, quam dictatorem appellaverunt: major potestate, ac imperio consulari: item tempore excellentior, quia de quinto in quintum annum ipsorum expirabat officium, consulatus autem per annum. Hi dictatores

magistri à populo vocabantur, quam dignitatem ferunt historiae habuisse Julium. Eodem etiam anno tradunt magistrum equitum institutum, qui dictatori obsequabatur. Dictator autem primus, ut scribit Eutropius, fuit Lamius, sed magister equitum Spurius Cassius. Sexto autem anno, quia consules nimis gravabant plebem, à populo instituti fuerunt tribuni, sic dicti, ut tradit Isidorus Lib. IX. Ety. mo. quod jura populi tribuant: quorum locum in civitatibus Italiae tenent antiqui, ordinati ad defensionem gentis plebeae. Sed advertendum hic, quod senatores semper fuerunt ex quo sunt à Romulo instituti: unde tradunt historiae, quod quia consules cum senatoribus populo erant infesti, inventi fuerunt tribuni in favorem plebis.

Sunt autem, & alia nomina officialium urbis, de quibus historiae faciunt mentionem, sed praecipue Isidorus Lib. IX. Ety. mo. quod consules, patres, patritii, praefecti, praetores, patres conscripti, proconsules, exconsules, censorini, decuriones, magistratus, & tabelliones, de quibus omnibus sub comprehendio est dicendum. Censoria autem dignitas apud veteres Romanos erat, quae apud modernos est dignitas judicialis: censere enim iudicis est. Dicuntur etiam censoria patrimoniorum, ut tradit idem Isidorus, à censu aeris appellati, quod est officium specialis curae in civitate, sive tutoribus dandis, sive auctoribus, sive curatioribus, vel quibuscumque causis, & negotiis pupillarum, & viduarum, vel etiam rebus patrimonialibus dividendis; sed patritii ideo dicuntur, quia sicut patres filios, sic illi cives Romanae republicae curam gerebant, qualis fuit domus Fabia, de qua dictum est supra. Patritius igitur non erat officium in republica, sed quaedam paterna reverentia populi ad aliquam progeniem civitatis pro zelo politiae Romanae quae gerebant: unde & jura gentium patriarum omni eminentiae, sive principum praeferebant, sicut pater omni curae tutoris. Praefecti autem dicti sunt, eo quod praetoria potestate praesint, unde & praetores idem quod praefecti dicuntur. Importat enim tale officium omnimodam factionem quasi praecipuus sit operator, & executor justitiae. Scripturae tamen sacra ad exteriores refert actiones, ut in principio Exodi (cap. v. 6.) scribitur, quod *praecipit Pharaon praefectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam ultra dabitur populo paleas ad conficiendos lateres.* Hi autem & praetores vocabantur ex prosecutione justitiae. Patres autem conscripti appellabantur senatores ratione officii. Ut enim refert Isidorus, cum Romulus ipsos instituit in decem curias, ipsos eosdem elegit, & nomina eorum presenti populo in tabulas aureas contulit, atque inde nominati sunt patres conscripti, quos etiam in tres ordines distinguit. Primi vocabantur illustres, secundi spectabiles, tertii autem clarissimi: quorum verba exponere longum esset. Proconsules autem dicti sunt coadjutores consulum quasi projecti, sive adjecti consulibus: nec consulari fugebantur simpliciter, sicut nec procurator curatoris, sive actoris: vel proconsul dicebatur assessor, qui vice consulum iudicabat. xconsul vero dicebatur consul amotus ab officio, peracto viels suae anno, unde exconsul quasi extra consularum existens. Habebat tamen aliqua fastigia sui consulatus sive alicujus immunitatis, sive alicujusmodi signi eminentiae, per quod cognoscebatur fuisse consul. Censorini autem minores iudices dicebantur, ad actus censoriae curiae, vel regiminis deputati, de qua dictum est supra, quasi inferiores censores. Sed decuriones ad omnem actum curialis officii: sic dicti, ut dicit Isidorus, quia

sunt de ordine curiae, & quia officium curiae administrant: sic vocatus est Joseph ab Arimathaea, nobis videlicet decurio, ac vir justus, & bonus, qui pro Domino nostro Jesu Christo mercatus sindonem officiosissimam, & reverendissimam contulit sepulchrum. De magistratu autem in fine superioris Libri satis est declaratum. Nunc autem agendum est de altero officio, & infimo cujuscumque regiminis, quod est tabellio: sic dictus, ut tradit Isidorus, quoniam portitor sit tabellarum, & susceptor, in quibus acta geruntur sive reipublicae, sive personae privatae. Idem etiam & scriba publicus vocatur, quia ea solus scribit gesta quae publica vocantur, quem & jura gentium servum publicum appellant.

Restat autem de uno solo nomine dignitatis diffinire quantum ad regimen politiae, quod scipio appellatur: quod quidem secundum proprietatem vocabuli baculus dicitur, cui quasi ad sui ducatum inniditur, & sustentatur, quod pater Cornelli Scipionis innidit. Hunc autem patrem tradunt historiae fuisse caecum, unde cum baculo, sive scipione veniebat in forum. Ad hujus patris similitudinem filius ejus Publius Cornelius, quia sustentavit rempublicam contra Hannibalem, & Carthaginem, vocatus est Scipio: & quia totam Africam subjugavit Romanis, dictus est Scipio Africanus ad differentiam alterius Scipionis nepotis ejus, qui Hispaniam devicit, & vocatus est Lucius Cornelius Numantinus, à Numantia, quam subiecit ac prostravit. Scribit etiam Augustinus 1. de civ. Dei tertium fuisse Scipionem, qui & Nasica est vocatus, frater majoris Scipionis, qui ne Carthago destrueretur prohibuit, asserens ipsam esse medicinam Romanis. Ex his igitur propter probitatem tantorum virorum considerato principio, unde nomen Scipionis ortum habuit, scipionem legislatores vocarunt virgam, quam Princeps portat in manu cum sceptro quasi semper victoriosus, ut ille magnus Scipio fuit. Unde narrat Isidorus in xv. 1. Ety. mo. quod triumphantes purpuram palliatam, & togatam habebant vestem, & scipionem cum sceptro gerebant in manu ad imitationem victoriae Scipionis.

Hic igitur de nominibus dignitatum respectu regiminis intantum sint dicta.

## CAPUT XXVII.

*Hic declarat de partibus politiae quantum ad bellatores, quos distinguit secundum triplicem considerationem.*

SED & de partibus ordinatis ad bellum, quae sunt partes politiae, & eidem necessariae, ut superius est probatum, congruum videtur tradere: quae quidem bene disposite pulchritudinem, & decorem augent, & delectationem generant: ex quo etiam ingenii cordis augmentum, adhaecque reddunt animos ad arduorum aggressum. Unde Salomon in Canticis exercitum dispositum ad bellandum pulchritudini sponsae assimilat, & decori. *Pulehra*, inquit, (Cant. vi. 3.) *es, & decora, filia Hierusalom, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Sic enim pulchritudo allicit, ut extram faciens nihil aggredi timeat, vel formidet: quod in excessivis amantibus maxime est manifestum. Ita etiam de acie bene ordinata contingit; & ideo ipsam terribilem vocat, sive ad pulchritudinem sponsae, sive ad aciem referens ex causa jam dicta. Propter quod non immerito de dictis partibus est agendum, quia ad ornatum faciunt politiae. Et quia homo in bello praecipue regimine indiget propter difficilem, &

terribilem actum quem exerceret, inde opportunum videatur in castris exercitum dividere in numerum certum, cuiuslibet assignando ducatum, per quem regatur, & dirigatur ad pugnandum cum hostibus. Quem quidem accipere possumus à Vegetio in I. Lib. de re militari, ubi exercitus dividitur in legiones: in quo dicitur duas sufficere cuiuslibet duci, vel consuli. Legionem dividit in decem cohortes, sed cohors prima numero, & merito antecedit. Nam genere quidem, & litterarum instruendo viros electissimos quaerit, ut idem tradit Vegetius: quod pro tanto dicitur, ut castra magis confidant, si tanti viri in prima exponantur acie, & quia maxime requiritur sapientia, ubi periculum totius dependet exercitus. Haec autem cohors aquilam suscipit signum praecipuum Romanorum castrorum, & totius legionis insigne: quod & Imperatoribus posterioribus est relictum. Cuius quidem ratio assignari potest, quia, ut idem dicit Vegetius, militaris Romana disciplina primas acies faciebat alares: inter omnes autem avium alias aquilinae sunt fortiores. Vel aliter dici potest, quod ideo signum aquilae eis traditur ex praesentia, videlicet in mundo, quantum ad dominium propter celestem & divinum effectum, quem implorare debent: continue, ut faciebat ille princeps Judas Machabeus, qui in pugnando auxilium de caelo petebat; quod praecipue eis competit propter periculum cui se committunt, vel quia merentur apud Deum ut sint victoriosi, eo quod morti se exponunt pro populo. De qua aquila dicitur in Ezechiele (xviii. 3.) loquente de Nabuchodonosor orientis Monarcha: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tollit medullam cedri.* Post hoc subdit Vegetius numerum primae cohortis, quam millenariam vocat, eo quod mille centum pedites in ea sunt, equestres autem centum triginta sex. Ceteras autem vocat quinquagenarias, quia in qualibet ponit quingentos quinquagintaquinque pedites, equestres autem sexaginta sex, ut quilibet equus certum numerum peditum habeat. Disponit etiam in quinta cohorte milites fortiores, quia sicut prima dextrum tenet cornu, ita & quinta sinistrum. Multa alia dicit ibi Vegetius, quae enumerare nimis esset longum, & verba eius tamquam inusitata modernis temporibus majori indigerent expositione. Haec autem tantum ad praesens sufficiant.

Quod si multitudo populi in politica sub certis limitibus in gradu, & numero disponitur quantum ad sui directionem, multo magis in castris, in quibus maxima, & periculosissima est difficultas regiminis tum ex parte operis quod eis incumbit, quia ad finem terribilium ordinatur, quod est mors; tum ex parte hostium qui insesant. Unde sicut in Exodo (xviii. 21.) consultit Moysi à cognato suo Jehro, ut onera divideret per officia diversa in iudicando populum, ubi ait: *Provide viros potentes... & qui oderint avaritiam, & constituat ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum: ita & Judas Machabeus cum instaretur ab hostibus, sua castra divisit, in eodem numero constituendo duces, per tribunos videlicet, centuriones, pentaconarchos, & decuriones, qui quidem numerus satis proportionatus est militibus ad distinctionem exercitus: unde unus in altero continetur, ut facilius sit ad conjunctionem unius cum altero, cum bellandi necessitas hoc requirit. Distinctio vero quam facit Vegetius ex dispositione acierum, attenditur cum campale bellum ordinatur, licet etiam ipse cohortes ad centurias reducat, & decurias ex certis causis, & rationibus.*

## CAPUT XXXVIII.

*Hic declarat de nominibus ducum, & de numero cohortum, & quid significat unumquodque.*

SED quia de nominibus agitur ducum, videndum est de ipsis prout Scriptura sacra denominat, & Romana respublica, ac moderni describunt. Et primo quidem de tribuno: quod quidem nomen dicit Vegetius ex tribu originem habere, quia praerat militibus quos Romulus elegerat, qui ex tribu originem traxerunt. Isidorus autem in ix. Etymologiarum dicit, quod tribuni dicti sunt, quod plebeis iura praebent: unde in favorem eorum sunt instituti proconules. Alibi vero dicitur, quod tribuni dicebantur qui mille militibus praerant, quos Graeci chyliarchos appellant, sicut centuriones à centum militibus sunt nominati. De quinquagenariis, sive pentaconarchis, quod idem est, Vegetius mentionem non facit; sed Scriptura sacra in praefatis jam Lib. & in IV. Lib. Regum, quos ad impactionem Heliae iuxta eorum meritum flamma combussit. Sed decanos, sive decuriones, sic dictos, quod decem militum curam habent in castris, Vegetius sub uno contubernio, & uno pallio disponit.

Nomina vero generalia multitudinis armorum ad pugnandum dispositae haec sunt, videlicet exercitus ab exercitio, sive ab exercitando dictus, utrumque enim in praedicta requiritur multitudo: vocatur & castra, à castitate dicta, ut tradit Isidorus, eo quod ibi debet castri libido: subtrahebantur enim deliciae à castris cum incuberet hostium pugna, ut Vegetius scribit: unde castra filiorum Israel devicta fuerunt à Madianitis, quia fornicati sunt cum filiabus eorum, ut scribitur in Numeris. Propter quod in Deuteronomio scribitur, quod Dominus ambulabat in medio castrorum Israelitici populi, ut sint castra eorum sancta, nihilque in eis appareat foeditatis. Vel castra dicebantur propter munitionem exercitus in aggeribus, & vallibus, ac aliis clausuris fortissimis, quibus Romani principes utebantur cum invadebant hostes. Propter quod fossores, fabri, ac latomi assuebantur ad militare disciplinam, ut haberent in promptu artifices necessarios ad tuitionem exercitus. Est & aliud nomen, per quod & multitudo pugnantium exprimitur, videlicet legio, ab electione dicta, ut tradit Isidorus, eo quod milites in ea contenti eligebantur ab aliis tamquam magis experti. Quaedam autem alia nomina sunt partium legionum, sive exercitus, quae à Vegetio traduntur in II. Libro ab Isidoro Libro IX. ut manipulus, qui est numerus decurionum militum, sic dictus quod mane hostes impeteret, sive quod pro signo manipulos stipulae, sive allicujus herbae ferret secum: de quibus Lucanus:

*Convocat armatos exemplo ad signa manipulos.*

Alii vocantur velites, à volitando dicti propter suam agilitatem. Romana enim respublica quosdam juvenes agiles habebat in militia legionum, qui cum invadebant hostes, condebant post equitum terga, runc subito desilientes de equis turbabant hostes. Tales autem milites Hannibali, ut scribit Isidorus, multum fuerunt infesti, per quos elephantum eius in majori parte sunt interempti: qualis fuit ille Blazarus, de quo traditur in I. Machab. quod exiliens in medium legionis contra castra Regis Antiochi bestiam invasit elephantinam loricatorum loricis Regis, ipsamque bestiam

## OPUSCULUM XX.

tiam occidit. Est & aliud gentis armorum, quod acies nuncupatur ab acuitate dicta, ut Isidorus dicit, quod audaciam importat in aggrediendo hostes, de qua Scriptura sacra saepius mentionem facit: unde & de una tribu Israelitici populi scribitur in Paralipomenon, quod egrediebantur ad pugnam in acie provocantes contra hostes. Aliud etiam nomen est quod cuneus appellatur quasi coitus, quod est in unum collecta multitudo ad pugnandum, & maxime necessarius in bellando; de quo in Deuteronomio dicitur, quod unusquisque suos cuneos preparavit ad bellum: à quo forte constabulum vocabulum trahit apud modernos usitatum, quasi caput cunei stabilis, hoc est constantis, & fortis. Est & aliud nomen novum apud Thucydos de prima cohorte, & quasi ejusdem Romanae cohortis similitudinem gerens, qua censu, genere, litteris, forma, virtute pollentes milites innitebantur, ut dicit Vegetius, cui tribunus praerat armorum scientia, virtute corporis, ac morum honestate praecipuus, quam trapellum dicunt, ad

perforandum acies hostium appellata: hoc enim verbum trapellationis importat. Sed & de officialibus castrorum multa tradit Vegetius in II. Lib. sed haec quae dicta sunt sub compendio, ad praesens sufficiunt quantum pertinet ad politiae tractatum in hoc IV. Lib.

Restat ulterius de principatu oeconomio, hoc est de regimine domus, quod est patrifamilias: qui quidem materiam habet omnino distinctam ab aliis principatibus. Et ideo congruum videtur hoc per se opus componere, distinguendo per Libros, sive tractatus, & sua capitula, prout natura facti requirit: qua in re Philosophus eundem modum tenet. Est ultimum de virtutibus quae requiruntur ad partes regiminis in quocumque genere, sive sint subditi, sive rectores, sive principes, sive subjecti fideles: quia sic requiritur ordo doctrinae in arte vivendi, & non simul ac mixtum tractare de ipsis, ut quidam fecerunt: quia hoc est impedire intellectum discantis, & est contra normam docentis.

# DIVI THOMÆ AQUINATIS DE REGIMINE JUDÆORUM

ad Ducissam Brabantiae.

## OPUSCULUM XXI.

EXcellentiae vestrae recepi litteras, ex quibus & piam sollicitudinem circa regimen subditorum vestrorum, & devotam dilectionem quam habetis ad Fratres nostri Ordinis plenarie intellexi, Deo gratias agens, qui vestro cordi tantarum virtutum semina inspiravit. Quod tamen in eisdem à me requirebatis litteris, ut vobis super quibusdam articulis responderem, utique mihi difficile fuit: tum propter occupationes meas, quas requirit operatio lectionis; tum quia mihi placeret ut super his requireteris aliorum consilium magis in libris periorum. Verum quia indecens reputavi ut vestrae sollicitudini negligens coadjutor inquiri, aut dilectioni ingratus existam, super propositis articulis vobis ad praesens respondere curavi absque praedictis sententiae melioris.

Primo ergo vestra requirebat excellentia, si liceat vobis aliquo tempore, & quo exactionem facere in Judaeos.

Ad quam questionem sic absolute propositam responderi potest, quia licet, ut jura dicunt, Judaei merito culpae suae sint, vel essent perpetuae servituti addicti, & sic eorum res terrarum domini possint accipere tamquam suas; hoc tamen servato moderamine, ut necessaria vitae subsidia eis nullatenus subtrahantur. Quia tamen oportet nos honeste ambulare etiam ad eos qui foris sunt, ne nomen Domini blasphemetur, ut Apostolus fideles admonet suo exem-

plo, ut sine offensione simus Judaeis, ac Gentibus, & Ecclesiae Dei; hoc servandum videtur ut sicut jura determinant, ab eis coacta servitia non exigantur, quae ipsi praeterito tempore facere non consueverunt: quia ea quae sunt insolita, magis solent animos hominum perturbare. Secundum igitur hujus moderationis sententiam potestis secundum consuetudinem praedecessorum vestrorum exactionem in Judaeos facere, si tamen aliud non obstat.

Videtur autem, quantum conjicere potui, circa hoc dubitatio vestra aucteri ex his quae consequenter inquiritis, quod Judaei terrae vestrae nihil videntur habere nisi quod acquisierunt per usurariam pravitatem: unde consequenter quaeritis, si liceat aliquid ab eis exigere, cum restituenda sint sic extorta.

Super hoc ergo sic respondendum videtur, quod cum ea quae Judaei per usuras ab aliis (1), non possint licite retinere, consequens est ut si etiam vos haec acceperitis ab eis, non possitis licite retinere, nisi forsitan essent talia quae à vobis, vel antecessoribus vestris factenus extorsissent. Si qua vero habent quae extorsentur ab aliis, haec ab eis exacta illis debetis restituere quibus Judaei restituere tenebantur: unde si inventum certae personae à quibus extorsentur usuras, debet eis restitui, alioquin debet in pios usus secundum consilium diocesani Episcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem utilitatem terrae, si

(1) Supple extorsentur.